

aliquam rem corpoream, et multo minus immediate recipere formas a re corporali. Et ideo sanctus Thomas, 1 p., q. 55, art. 2, arguit sic, secundo loco : « Lumen angelicum est fortius quam lumen intellectus agentis in anima. Sed lumen intellectus agentis abstrahit species intelligibiles a phantasmatis. Ergo lumen intellectus angelici potest abstrahere species etiam ab ipsis rebus sensibiliibus. Et ita nihil prohibet quod angelus intelligat per species a rebus acceptas. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod de extremo ad extremum non pervenitur nisi per medium. Esse autem forme in imaginatione, quod est quidem sine materia, non tamen sine materialibus conditionibus, medium est inter esse forme que est in materia, et esse forme in intellectu per abstractionem a materia et a conditionibus materialibus. Unde quantumcumque sit potens intellectus angelicus, non posset formas materiales deducere ad esse intelligibile, nisi prius reduceret eas ad esse forme imaginatum; quod est impossibile, cum careat imaginatione. » — Haec ille. — Et similiter dici potest de anima separata : quia nec anima separata, nec angelus potest transgredi ordinem naturae a Deo prefixum. — Cum autem dicit arguens, quod Deus posset transferre corpus de loco ad locum, vel de uno ubi ad alium, non transeundo per medium, dubium est apud multis. Nam sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 2, art. 3, in solutione tertiae questionis, probat quod contradictionem implicat quod aliquod corpus transferatur aut moveatur de loco ad locum, non transeundo per medium. Et simile dicit, 1 p., q. 53, art. 2; et multis aliis locis. Et sic patet quod prima instantia vel calumnia allegata contra argumentum non valet.

Dicitur secundum, quod nec *secunda instantia* vel calumnia valet : quia manifeste falsum est quod forme existentes in materia exteriori secundum esse reale sint ejusdem generis, vel quod eadant in idem extremum cum formis que sunt in imaginatione secundum esse intentionale. Unde patet quod totum illud non est nisi fuga proterva contra veridicam demonstrationem sancti Thomae, ut patet multiplicitate ex superiori recitatis.

Et haec sufficient ad objecta Scotti.

Ad argumentum contra questionem (2), respondeat sanctus Thomas, 1 p., q. 89, art. 1, in solutione tertii, ubi sic dicit : « Anima separata non intelligit per species innatas, neque per species quas tunc abstrahat, nec solum per species conservatas, ut objectio procedit; sed per species ex influentia divini luminis participatas, sicut et aliae substantiae separate, quamvis inferiori modo. Unde, tam cito cessante conversione ejus ad corpus, ad superiora convertitur. Nec tamen propter hoc haec posi-

tio vel cognitio non est naturalis : quia Deus est auctor (2) non solum influentiae gratuitæ luminis, sed naturalis etiam. » — Haec ille.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus in eternum. Amen.

QUÆSTIO II.

UTRUM ANIMA HOMINIS SEPARATA POSSIT CORPORA MOVERE LOCALITER

LTIMO, circa quinquagesimam distinctiōnem 4. *Sententiarum*, queritur : Utrum anima hominis separata possit corpora movere localiter.

Et arguitur quod sic. Quia substantia spirituali obedit naturaliter corpus ad motum localem. Sed anima separata, est substantia spiritualis. Ergo suo imperio potest movere corpora.

In oppositum arguitur sic. Quia Philosophus dicit, in 1. *de Anima* (1. c. 52 et 53) quod anima non potest movere quodcumque corpus, sed solummodo proprium.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod anima separata sua naturali virtute non potest movere aliquod corpus.

Hanc ponit sanctus Thomas, 1 p., q. 417, art. 4, ubi sic dicit : « Anima separata sua naturali virtute non potest movere aliquod corpus. Manifestum est enim quod, cum est corpori unita, non moveat corpus nisi vivificantum ; unde si aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit anime ad motum. Manifestum est autem quod ab anima separata nullum corpus vivificantur. Unde nullum corpus obedit ei ad motum localem, quantum ex virtute sue naturae; supra quam potest ei conferri aliquid virtute divina. » — Haec ille. — Ex quibus patet ratio in forma pro conclusione.

(a) questionem. — conclusionem Pr.

(2) auctor. — actor Pr.

Secunda conclusio est quod anima separata, virtute divinitus et supernaturaliter sibi collata, potest movere localiter corpora.

Hæc conclusio patet ex dictis ejus statim recitatis. Et potest probari: quia animæ separate sepe apparent in corporibus assumptis, et ab eis localiter portatis et motis. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 45, q. 1, art. 1, q^{ta} 3, ubi querit: Utrum animæ in paradiso vel in inferno existentes egredi valeant.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS 11

PONUNTUR OBJECTIONES

CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scoti. — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Scotus (4. *Sentent.*, dist. 49, q. 14).

Primo. Quia inconveniens videtur, quod anima separata sit in aliquo loco unde non posset movere se libere; et præcipue si sit in loco sibi disconvenienti, cum quodlibet elementum moveat se de tali loco.

Secondo. Quia agens quod potest habere in sua virtute activa aliquem terminum, potest in illum. Sed terminus motus localis non est nisi *ubi*. Quem terminum potest habere anima in virtute sua: quia nullum est corpus ita imperfectum quin habeat in virtute illum terminum, et similiter ad movendum aliud ad illum terminum, quia lapis trahit secum aliud corpus ad locum suum, si sibi conjugatur; cum ergo anima sit susceptiva illius termini, quia est in loco diffinitivè, oportet quod habeat illum (α) in virtute activa. Ergo anima separata potest se et aliud corpus movere non organice.

Confirmatur. Quia, si repugnat animæ separate movere aliud corpus localiter secum: aut hoc esset ex sua immaterialitate; aut propter suam imperfectionem. Non primo modo: quia movere se et aliud corpus convenit naturæ intellectuali, ut angelo, qui potest movere se et cœlum. Nec secundo modo: quia convenit corpori, quod est imperfectius ens; similiter anima in virtute sua habet formam perfectiorum, scilicet intelligere et velle; non ergo sibi repugnat ratione imperfectionis.

Tertio. Quia corpora glorificata post resurrectionem movebuntur ab anima; et non organice; sed totum corpus simul movebitur, non una parte

(α) *illum.* — *illud* Pr.

mota et alia quiescente, quia volabunt et non descent; haec autem motio simul totius corporis non est per organum. Ergo tunc erit in ea virtus qua poterit movere corpus non organice; et si tunc, ergo et nunc, quia nulla nova potentia sibi dabitur in resurrectione: — Hæc Scotus.

II. Argumenta Aureoli. — Contra eamdem conclusionem arguit Aureolus (4. *Sentent.*, dist. 45, q. 1, art. 2).

Primo. Quia anima Christi descendit ad inferos; et constat quod non est dicendum quin potuerit secum deferre unam paleam, si voluisset, aut movere localiter aliquod corpus.

Confirmatur. Quia aliqui pie ponunt quod secum portavit baculum imperiale.

Secondo sic. Anima conjuncta potest movere aliquod corpus immediate, non mediante (α) aliquo organo, sed solum per potentiam motivam quam habet in se. Ergo anima separata potest movere aliquod corpus localiter per eamdem potentiam motivam. Tenet consequentia: quia non propter aliud negatur ab adversariis, (β) quod anima separata moveat aliquod corpus localiter, nisi quia dicunt potentiam motivam in loco esse organicam; et ideo, secundum eos, anima non moveat corpus immediate, sed mediante aliquo organo, sicut nec immediate videt anima, sed oculus. Assumptum probatur. Quia ista est expressa intentio Aristotelis, in libro *de Motu* (γ) *animalium*, cap. 6. Unde ibidem dicit quod non oportet quod in corpore animalis sit aliqua pars immobile, sic quod non totum moveatur; contingit enim quandoque quod totum moveatur, et nihil est immobile nisi punctus. Quomodo ergo et a quo tunc est motus? Respondet quod immediate est ab anima, que primo movet spiritum, et, mediante spiritu, totum corpus. Similiter ista est expressa intentio Commentatoris in 8. *Physicorum*, ubi, com. 37, dicit quod in animali primo movens est anima, motum vero immediate ab ea, est spiritus in musculis et lacertis. Et idem dicit in multis aliis locis. Ex quibus appetet quod mens Commentatoris est quod anima movet corpus immediate, scilicet aliquam ejus partem immediate movendo, non per aliam (δ) partem medium. Nam, secundum eum, manifestum est quod res movens et res mota differunt. Nihil autem moveatur nisi a quiescente illo motu. Tunc queritur: illud quiescens, aut est anima sola, et habeo propositum; vel est aliqua pars corporis; et hoc est contra mentem Aristotelis et Commentatoris; quia, secundum eos, contingit quandoque ut totum corpus sit motum, excepto aliquo punctali; sicut ille qui saltat, movet se totaliter.

(α) *mediante.* — *metaphorice* Pr.

(β) *adversariis.* — *adversario* Pr.

(γ) *Motu.* — *clausu motus* Pr.

(δ) *aliam.* — *aliquam* Pr.

liter usque ad aliquem punctum determinatum (z); et cum punctus non habeat virtutem motivam in loco, necesse est quod illud movens immobile praece sit anima.

Tertio. Quia ista opinio tua non stat cum opinione Commentatoris, qui, 12. *Metaphysicæ*, com. 36, dicit quod potentia motiva est in substantiis separatis, dicens: De virtutibus animæ tantum repertur in eis intellectiva, et appetitiva, et secundum locum motiva.

Quarto. Quia contradicit illis que fide tenemus. Legimus enim aliquando animas sanctorum apparuisse in corporibus assumptis; sicut legimus de Agatha apparente sanctæ Lucie.

Quinto. Quia, cum anima intellectiva sit substantia media inter substantias abstractas et substantias corporeas, in quantum est forma conveniens cum substantiis abstractis, habet potentiam intellectivam; et voluntatem, et motivam secundum locum non organicañ; in quantum vero convenit cum corporibus, habet potentias sensitivas, et motivam ad locum organice. — Hæc Aureolus.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III

PONUNTUR SOLUTIONES

AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scotti. — Quantum ad tertium articulum, respondentum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum Scotti, dicitur primo, quod animæ separate, secundum conditionem sue naturæ, proprie loquendo, nullus locus est conveniens vel disconveniens, sed secundum meritum vel demeritum; quia secundum naturam suam non competit sibi esse in loco, ut locus est, nec ad modum propriæ localium. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 45, q. 1, art. 4, in solutione prime questionis, sic dicit: « Quamvis substantiae spirituales secundum esse suum a corpore non dependant, corporalia tamen a Deo mediantibus spiritualibus gubernantur, ut dicit Augustinus, 3. *de Trinitate* (cap. 4), et Gregorius, 4. *Dialogorum* (cap. 6). Et ideo est quedam convenientia spiritualium substantiarum ad corporales substantias, per quamdam congruentiam, ut scilicet dignioribus substantiis digniora corpora adaptentur; unde et philosophi secundum ordinem mobilium posuerunt ordinem substantiarum separa-

tarum. Quamvis autem animabūs post mortem non assignentur aliqua corpora quorum sint formæ vel determinati motores, determinantur tamen eis quædam corporalia loca, per congruentiam quandam, secundum gradum dignitatis earum, in quibus sunt quasi in loco, eo modo quo incorporalia in loco esse possunt, secundum quod magis vel minus accedunt ad primam substantiam, cui locus superior per congruentiam deputatur, scilicet Deum, cuius sedem cœlum Scriptura esse denuntiat. Et ideo animas quæ sunt in participatione sanctæ divinitatis, in cœlo esse ponimus; animas vero quæ a participatione hujusmodi impediuntur, loco contrario dicimus deputari. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Incorporalia non sunt in loco aliquo modo nobis noto et consueto, secundum quod dicimus corpora proprie esse in loco; sunt tamen in loco modo substantiis spiritualibus convenienti, qui nobis plene manifestus esse non potest. » — Hæc ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit: « Duplex est convenientia vel similitudo. Una quæ est per participationem ejusdem qualitatis, sicut calida ad invicem convenienti. Et talis convenientia incorporalium ad corporalia loca esse non potest. Alia per quamdam proportionabilitatem, secundum quam in Scripturis metaphorice corporalia ad spiritualia transferuntur: it quod Deus dicitur esse sol, quia est principium vite spiritualis, sicut sol vite corporalis. Et secundum hanc convenientiam quedam animæ quibusdam locis magis convenienti: sicut animæ spiritualiter illuminante, cum corporibus luminosis; animæ vero obtenebratæ per culpam, cum locis tenebrosis. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod animæ separate, proprie loquendo, secundum naturam suam, nullus locus debetur, nec convenit; sed solum et duntaxat per quamdam congruentiam ad merita vel demerita praecedentia; quod fit virtute Dei punientis vel premiantis animam per deputationem ad corporalia loca, vel operatione aliquis angelii animam corpori alligantis, et non propria virtute ipsius animæ separate. Unile probabile videtur quod anima separata, si nulli loco taliter deputaretur, nullib[us] esset.

Dicitur secundo, quod anima separata, sicut propria virtute non acquirit locum, nec facit se esse in loco, ut locus est, sed sola divina vel angelica virtute deputatur aliquibus corporibus; ita nec propria virtute perdit locum vel corpus cui deputatur, nec ab eo recedit, nisi virtute divina vel angelica, per quam animæ separate aliquando a suis receptaculis egreditur; secundum quod ostendit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, ubi supra (dist. 45, q. 1, art. 4), in solutione tertie questionis, « Aliquem, inquit, exire de inferno vel paradiſo potest intelligi dupliciter. Uno modo, ita quod simpliciter inde exeat, ut etiam ejus locus non sit paradiſus vel infernus. Et sic nullus inferno vel paradiſo finaliter deputatus

(a) determinatum. — gibbi Pr.

inde exire potest. Alio modo potest intelligi ut exeat inde ad tempus. Et in hoc distinguendum est quid eis conveniat secundum legem naturae, et quid eis conveniat secundum ordinem divine providentiae: quia, ut dicit Augustinus in libro *de Cura pro mortuis agenda* (cap. 16), *alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum; alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt.* Secundum ergo naturalem cursum; animæ separatae, receptaculis propriis deputatae, a conversatione viventium penitus segregantur; non enim, secundum cursum naturæ, homines in mortali carne viventes substantiis separatis immediate conjunguntur, cum omnis eorum cognitio a sensu oriatur; nec propter aliud a suis receptaculis eas exire convenienter, nisi ut rebus viventium interessent. Sed, secundum dispositionem divine providentiae, aliquando animæ separatae a suis receptaculis egressæ conspectibus hominum presentantur; sicut Augustinus narrat in praedicto libro (eod. cap.) de Felice martyre, qui civibus Nolani visibiliter apparuit, cum a barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam credi potest quod de damnatis contigerit, quod ad erubitionem hominum et terrorem permittuntur viventibus apparere; aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos qui in purgatorio detinentur; ut patet per multa quæ in 4. *Dialogorum* narrantur. Sed hoc interest inter sanctos et damnatos: quia sancti, cum volunt, apparere possunt viventibus; non autem damnati. Sicut enim sancti viventes in carne, per donum gratiae gratis date (2) accipiunt ut sanitates et signa perficiant, que non nisi divina virtute mirabiliter fiunt (quæ quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt); ita etiam non est inconveniens ut ex virtute glorie aliqua potestas animabus sanctorum detur, per quam possunt mirabiliter apparere viventibus, cum volunt; quod alii non possunt, nisi interdum permissi. » — Haec ille. — Item, 4 p., q. 89, art. 8, in solutione secundi (6), dicit quod « hoc quod mortui viventibus apparent qualitercumque, hoc contingit per specialem Dei dispensationem, ut animæ mortuorum rebus viventium intersint; et est inter divina miracula computandum. Vel hujusmodi apparitiones fiunt per operationem angelorum bonorum vel malorum, etiam ignorantibus mortuis, etc. » — Haec ille. — Ex quibus apparet quod sola divina vel angelica virtute fit quod animæ separatae viventibus apparent, vel locis aut rebus viventium intersint. Et similiter dicendum de quaenamque alia mutatione locali animarum separatarum: quia nec sunt in loco nisi agendo in corpora, vel patiendo a corporibus, vel interveniente aliquo alio contactu virtutis inter animam separatam et corpus, puta alligationem ejus ad corpus, vel

praesidentiam supra corpus, vel qualecumque unionem et conjunctionem unius ad alterum.

Dicitur tertio, quod, dato quod anima separata propria naturali virtute ficeret se praesentem alicui loco, vel virtute angelica fieret praesens alicui loco vel corpori, non tamen conceditur quod posset a quoctumque loco recedere, vel ad quemcumque locum accedere, propria virtute. Quod patet in simili de demonibus alligatis annulis vel imaginibus virtute alicujus superioris demonis. De hoc alias (2) recitavi dicta sancti Thomæ, *de Anima*, q. 21, ubi sic dicit: « *Anima, inquit, et quelibet incorporalis substantia, quantum est de sui natura, non obligatur alieni loco, sed transcendent totum ordinem corporalium.* Quod ergo alligetur alicui, et determinetur ad aliquem locum, per quamdam necessitatem, est contra naturam ejus, et contrarium appetitiū naturali; et hoc dico non inquantum conjugitur corpori cuius est forma substantialis naturalis, in quo aliquam perfectionem consequitur. Quod autem aliqua spiritualis substantia alieni corpori alligetur, non est ex virtute corporis potentis substantiam incorpoream detinere; sed est ex virtute alicujus superioris substantie alligantis talis spiritualem substantiam tali corpori; sicut etiam arte magica, permissione divina, virtute superiorum demonum, aliqui spiritus rebus aliquibus alligantur, vel annulis, vel imaginibus, vel hujusmodi rebus. Et per hunc modum animæ et demones alligantur virtute divina, in sui pena, corporeo igni. Unde Augustinus dicit, 21. *de Civitate Dei* (cap. 10): *Cum non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis, etiam spiritus incorporeos posse pena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi incorporei, nunc possunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubilibus alligari?* Adhærebunt ergo spiritus demones, licet (6) incorporei, corporeis ignibus cruentandi; accipientes ex ignibus penas, non dantes ignibus vitam. » — Haec ille. — Similia dicit multis aliis locis. Ex quibus patet quod angelus bonus, vel malus, posset propria virtute alligare animam separatam alicui corpori, a quo recedere non posset propria virtute naturali.

Dicitur quarto, quod motus localis et locus non univoce sed mere aequivoce convenient corporibus et spiritibus incorporeis; ideo non sequitur quod (7), si elementum propria virtute potest se mouere de loco disconvenienti sua naturæ, ita sit de spiritu.

Dicitur quinto, quod non solum spiritus, immo corpus, sive sit elementum, sive elementatum, potest violenter definiri in aliquo loco, ne propria virtute possit inde recedere.

(2) *Cfr. dist. 44, q. 3, art. 3, ad arg. Henrici contra secundam conclusionem.*

(6) *demones, licet, — et demones Pr.*

(7) *quod, — Om. Pr.*

Ad secundum dicitur primo, negando minorem, pro illa parte quae dicit quod anima separata potest habere in virtute sua proprium *ubi*, vel situm proprium dictum. Cum enim anima abstrahat a toto genere quantitatis corporeae, de necessitate abstrahit ab *ubi* et a situ proprio dictis; quia talia non possunt suscipi nisi in subjecto quanto et corporeo, ut patet ex definitione *ubi* et *situs*.

Dicitur secundo, quod esse in loco diffinitive, eo modo quo convenit spiritui, non est idem quod habere vel esse subjectum *ubi*; sed est contingere corpus vel locum, vel ab ipso contingi tactu virtutis, ut alias visum est, 2. *Sentent.* (dist. 2, q. 1).

Dicitur tertio, quod omne corpus physicum continet in virtute sua terminum qui est *ubi*, ratione gravitatis, aut levitatis, vel alterius qualitatis sensibilis; anima autem separata talium capax esse non potest.

Dicitur quarto, quod similitudo quae adducitur de lapide vel aliis corporibus physicis quae ad loca sua moventur, et secum trahiunt corpora eis colligata ad suum *ubi*, etc., — non valet; sed est multum rudit. Tum quia moveri ad locum, vel esse in loco, aequivoce dicuntur, et non univoce, de anima separata et de corpore physico. Tum quia corpus physicum non movet nec trahit aliud corpus sibi alligatum de loco ad locum, eodem modo motionis quo anima nata est mouere corpus. Nam anima nullum corpus extrinsecum sibi suppositaliter non conjunctum nata est mouere, nisi per hoc quod movet corpus quod informat, et, mediante illo, movet corpora extrinseca; sicut nec gravitas totius terrae, si esset separata, et nulli corpori physico formaliter unita, quantumcumque alligaretur paleae, non propter hoc moveret eam deorsum naturaliter et sine speciali (2) miraculo; quia, ordine naturae, primo movet subjectum suum quam aliquid aliud, et, mediante suo subjecto, potest mouere alia corpora suo subjecto alligata. Corpus autem physicum natum est mouere aliud corpus sibi alligatum, tanquam principium motus extrinsecum et violentum; nec oportet quod prius ordine naturae moveat aliud corpus, tanquam principium intrinsecum et naturale. Unde patet quod similitudo non valet. Et ideo non sequitur quod anima separata possit mouere localiter aliquod corpus, si lapis hoc potest.

Ad confirmationem, dicitur primo, quod divisio ibidem facta non valet. Quod enim anima separata non possit aliquod corpus localiter mouere, non contingit nec propter suam immaterialitatem, nec propter suam imperfectionem, sed propter aliud, scilicet quia anima naturaliter est apta informare corpus, et esse pars compositi; et ideo non convenit sibi mouere corpus separatum, nisi mediante con-

(2) *speciali*. — *spirituali* Pr.

juneto. Ad hujus declarationem, sanctus Thomas, 4 p., q. 447, art. 4, in solutione primi, sic dicit: « Substantiae separatee quedam sunt, quarum virtutes non determinantur ad aliqua corpora, sicut sunt angeli, qui sunt naturaliter a corporibus absoluti; et ideo diversa corpora eis possunt obedire ad motum. Si tamen alicuius substantiae spiritualis separatee virtus motiva determinetur naturaliter ad movendum aliquod corpus, non poterit illa substantia mouere corpus maius, sed minus; sicut, secundum philosophos, motor inferioris coeli non posset mouere celum superius. Unde, cum anima secundum naturam suam determinetur ad movendum corpus cuius est forma, nullum aliud corpus sua naturali virtute mouere potest immediate. » — Haec ille. — Item, *de Malo*, q. 46, art. 40, in solutione secundi, sic dicit: « Anima humana insimum gradum tenet in ordine substantiarum spiritualium; unde non habet virtutem movendi corpus, etiam localiter, nisi proportionatum sibi per hoc quod est vivificatum ab ipsa. » — Haec ille.

Dicitur secundo, quod, licet anima separata habeat in virtute sua intelligere et velle, quae sunt formae perfectiores quam mouere paleam vel aliud corpus extrinsecum, non tamen sequitur quod, si potest primum, possit secundum: quia primum et secundum non sunt ejusdem ordinis, nec aequo proportionata vel convenientia naturae ipsius animae, ut patet ex dictis. Unde, si consequentia illa valeret, sequeretur quod angelus posset causare sensacionem, ex quo causat intellectionem, que est actus perfectior sensatione.

Ad tertium dicitur primo, quod, si argumentum valeret, concluderet quod anima rationalis, dum est in corpore, posset mouere corpus motu volatus, et motu non organico, ex quo habet potentiam volativam eamdem quam habebit post glorificationem corporis. Et multa alia falsa concluderet, sicut ostendit Petrus de Palude, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 4, art. 2.

Dicitur secundo, quod anima beata, post assumptionem corporis glorificati, non habebit novam potentiam motivam, nec virtutem motivam respectu corporis, que sit potentia vel virtus naturae; habebit tamen novam potentiam vel virtutem gratiae vel gloriae. Unde Petrus, ubi supra, recitat dicta Scoti in hunc modum, in alio proposito, dicens: « Utrum autem corporibus beatis competit aliquis motus, quo moveatur corpus ab anima non organica, id est, non pars post partem, sicut nunc fit, sed totum simul et ex aequo, sicut nunc grave descendit deorsum et leve ascendit sursum, videtur quibusdam quod sic. Quod probant. Quia in anima est virtus movendi sic active, et in corpore est virtus passiva optime disposita ut moveatur. Ergo talis motus erit vel esse poterit in corporibus gloriis. Consequientia patet: quia, posito sufficienti motivo, et mobili

sufficienter disposito, sequitur motus, vel saltem potest sequi. Antecedens declaratur quantum ad duas partes ejus. Primo, quod in anima sit talis virtus motiva : quia inconveniens videtur quod anima separata non possit se movere ad *ubi* conveniens sibi; sed talis motus animae separatae non fit organice; ergo in anima separata est virtus ad movendum non organice; nec istud repugnat sue perfectioni, quia angeli, qui sunt perfectiores animabus separatis, moventur de loco ad locum, et non organice. Item, ex parte corporis, videtur esse conveniens dispositio ad talem motum : nam corpora beatorum, secundum omnem sui partem, nata sunt ab anima moveri, et non una pars mediante alia. »

— Haec Scotus. — Contra quod dicit Petrus : « Ista opinio videtur in se vera, licet sit falsa in ratione. Falsum enim videtur quod anima sit nata movere se ad omnem locum sibi convenientem; quia secundum naturam nullus loens est sibi conveniens aut disconveniens. Item, quod dicunt (z) nullam virtutem addi corpori et animae, et tamen sic differenter movere, — est ficticium : quia idem manens idem, natum est agere et pati idem; unde, quod anima non variata quoad potentiam activam movendi, nec corpus quoad potentiam passivam, moveatur ab illa novo modo, non est probabile. » — Haec Petrus. — Concordat sancto Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 2, art. 3, q^a 1 (ad 2^{um}), ubi sic dicit : « Post resurrectionem anima perfecte dominabitur corpori, tum propter perfectionem proprie virtutis, tum propter habilitatem corporis gloriosi, ex redundantia gloriae ab anima in ipsum. Ideo non erit aliquis labor in motu sanctorum. Et sic dici possunt corpora sanctorum agilia. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione quarti, sic dicit : « Sicut natura dat velocioribus animalibus instrumenta diversae dispositionis in figura et quantitate; ita Deus dabit corporibus sanctorum aliam dispositionem quam nunc habeant, non quidem in figura et quantitate, sed proprietate glorie, que dicitur agilitas. » — Haec ille.

Dicitur tertio, quod ista consequentia non valet : Anima potest movere corpus sibi unitum non organice; igitur potest movere corpus separatum non organice. Cuius ratio patet ex dictis, et magis patet ex post dicendis.

II. Ad argumenta Aureoli. — **Ad primum** Aureoli contra eamdem conclusionem, dicitur quod per illud argumentum et confirmationem ejus probatur secunda conclusio, scilicet quod anima separata, virtute divina, potest movere corpora localiter. Sed ex hoc non habetur quod hoc possit sua naturali virtute. Ideo non militat contra primam conclusionem, que hoc negat.

(z) *verior.* — *Ad. Pr.*

Ad secundum dico primo, quod consequentia non valet. Nec similiter valet probatio : quia quod anima separata non possit movere corpora localiter, ponit opinio beati Thomae, non solum propter hoc quod dicit arguens, quod omnis animae potentia motiva secundum locum sit organica, vel quod anima nullum corpus vel partem animalis moveat immediate, sed solum mediante organo; sed hoc ponit propter aliud, quia scilicet non est nata immediate movere nisi corpus quod vivificat, ut patet ex supradictis. Sanetus Thomas enim concedit quod motus localis cordis est immediate ab anima, etiam sine potentia organica; motus autem aliorum membrorum est ab anima, mediante corde et ejus motu, et per potentiam motivam organicam, quae est in corde primordialiter. Unde, in Tractatu *de Motu cordis*, sic dicit : « Quia omne quod movetur, necessum est habere motorem, dubitabile videtur quid moveat cor, et qualis sit motus ejus, etc. » Et, post multa, subdit : « Principium ergo hujus considerationis hinc oportet accipere, quia, ut dicit Aristoteles, 8. *Physicorum* (t. c. 27), *quorumcumque principium motus in seipsis est, h[oc]c natura dicitur moveri; unde animal quidem totum natura ipsum seipsum movet, corpus tamen ejus continet natura et extra naturam moveri; differt enim secundum qualem motum (z) quod movetur eveniat, et ex quali elemento constet.* Cum enim animal movetur deorsum, est quidem motus ejus naturalis et toti animali, et corpori, eo quod in corpore animalis elementum grave predominatur. Cum autem animal movetur sursum, est quidem naturalis motus animalis, quia est a principio intrinseco ipsius, quod est anima; non tamen est naturalis corpori gravi; unde et magis fatigatur in hoc motu. Motus autem secundum locum in animalibus causatur ex appetitu et apprehensione sensitiva vel intellectiva, ut dicit Aristoteles, 3. *de Anima* (t. c. 44). In aliis quidem animalibus totus processus motus est naturalis : non enim agunt a proposito, sed a natura; naturaliter enim hirundo facit nidum, et aranea telam. Solius autem hominis est a proposito operari, et non a natura. Sed tamen eiuslibet operationis sue principium naturale est. Quamvis enim conclusiones scientiarum speculativarum et practicarum non naturaliter sciatur, sed ratiocinando inventi, prima tamen principia indemonstrabilia sunt ei naturaliter nota; ex quibus ad alia scienda procedit. Similiter ex parte finis : quia appetere ultimum finem, qui est felicitas, est homini naturale, et fugere miseriam; sed appetere alia non est ei naturale, sed ex appetitu ultimi finis procedit in appetitu aliorum; sic enim est finis in appetibilibus ut principium indemonstrabile in intelligibilibus, ut dicitur, 2. *Physicorum* (t. c. 89). Sic ergo, cum

(z) *motum.* — *modum* *Pr.*

motus omnium aliorum membrorum causentur ex motu cordis, ut probat Aristoteles in libro *de Motu animalium* (cap. 6 et 8), motus quidem alii possunt esse voluntarii, sed primus motus, qui est cordis, est naturalis. Oportet autem (2) considerare quod motus sursum est naturalis igni (6), eo quod consequitur formam ejus; unde et generans, quod dat formam, est per se movens secundum locum. Sieut autem formam elementi consequitur aliquis motus naturalis, nihil prohibet et alias formas alios motus sequi naturales; videmus enim quod ferrum naturaliter movetur ad magnetem, qui tamen motus non est ei naturalis secundum naturam gravis et levis, sed secundum quod habet talam formam. Sic ergo et animal, inquantum habet talam formam, quae est anima, nihil prohibet habere aliquem motum naturalem; et movens hunc motum, est quod dat formam. Dico autem motum naturalem animalis eum qui est cordis. Quia, ut dicit Aristoteles, libro *de Motu animalium* (cap. 7), *existimandum est constare animal quemadmodum civitatem bene legibus rectam. In civitate enim, quando semel stabilitus fuerit ordo, nihil opus est separato monarcha, quem oporteat esse ad singula eorum que sunt; sed quilibet facit quod ipsi ordinatum est, et sit hoc post hoc propter consuetudinem. In animalibus autem idem hoc propter naturam sit, et quia natum est unumquodque sic constitutorum (7) facere proprium opus, ut nihil opus sit in unoquoque esse animam*, scilicet inquantum est principium motus, *sed in quodam principio corporis existente, alia quidem vivere, eo quod adnata (8) sunt, facere autem proprium opus propter naturam*. Sic ergo motus cordis est naturalis, quasi consequens animam inquantum est forma talis corporis, et principaliter cordis. Et forte secundum hunc intellectum aliqui dixerunt motum cordis esse ab intelligentia, inquantum posuerunt animam ab intelligentia esse; sicut Aristoteles dicit motum gravium et levium esse a generante, inquantum dat formam, que est principium motus. Omnis autem proprietas et motus consequitur aliquam formam secundum conditionem illius; sicut formam nobilissimi elementi, puta ignis, consequitur motus ad locum nobilissimum, qui est sursum. Forma autem nobilissima in corporibus est anima, quae maxime accedit ad similitudinem principii motus cœli. Unde et motus ipsam consequens simillimus est motui cœli: sicut enim est motus cordis in animali, sic motus cœli in mundo. Sed tamen necesse est motum cordis a motu cœli desicere, sicut et principiatum deficit a principio. Est autem motus

cœli circularis et continuus; et hoc competit ei inquantum est principium omnium motuum mundi; accessu enim et recessu suo corpus celeste imponit rebus principium et finem essendi, et sua continuitate conservat ordinem in motibus qui fiunt semper. Motus autem cordis principium quidem est omnium motuum qui sunt in animali; unde Aristoteles dicit, 3. *de Partibus animalium* (cap. 4), *quod motus delectabilium et tristium, et totaliter omnis sensus, hinc incipientes videntur, scilicet in corde, et ad hoc terminari*. Unde ad hoc quod cor esset principium et finis omnium motuum, habeat quendam motum, non quidem circularem, sed similem circulari, compositum ex tractu et pulsu. Unde Aristoteles dicit, 3. *de Anima* (l. c. 55), *quod movens organice est ubi est principium et finis idem; omnia autem tractu et pulsu moventur; propter quod oportet, sicut in circulo, manere aliquid, et hinc incipere motum*. Est etiam motus iste continuus durante vita animalis, nisi inquantum necesse est intercidere morulam medium inter pulsum et tractum, eo quod deficiat a motu circulari. Per hoc ergo de facili solvuntur que in contrarium objici possunt. Neque enim dicimus motum cordis esse naturalem corpori inquantum est grave vel leve, sed inquantum est animatum anima tali; et duo motus qui videntur quasi contrarii, sunt quasi partes unius motus compositi ex utroque, inquantum deficit a simplicitate motus circularis; quem tamen imitatur, inquantum est ab eodem in idem; et sic non est inconveniens si quodammodo sit ad diversas partes, quia et motus circularis sic est. Nec oportet quod causetur ex apprehensione et appetitu, quamvis causetur ab anima sensitiva: non enim causatur ab anima sensitiva per operationem suam, sed inquantum est forma et natura talis corporis; motus autem progressivus animalis causatur per operationem sensus et appetitus; et, propter hoc, medici distinguunt operationes vitales ab operationibus animalibus, et dicunt quod (2) animalibus cessantibus remanent vitales (vitales (6) autem appellantes que motum cordis concomitantur; et hoc rationabiliter: *vivere enim virentibus est esse*, ut dicitur, 2. *de Anima* (l. c. 37); *esse autem unicuique est a propria forma*). Hoc autem differt inter animam et principium motus cœli: quod illud principium non movetur per se, nec per accidens; anima autem sensitiva, et si non movetur per se, movetur tamen per accidens; unde proveniunt in ea diverse apprehensiones et affectiones. Unde motus cœli semper est uniformis; motus autem cordis variatur secundum diversas apprehensiones et affectiones anime. Non enim affectiones anime causantur ab alterationibus cordis, sed potius causant

(2) autem. — ergo Pr.

(6) igni. — ignis Pr.

(7) unumquodque sic constitutorum. — sic unumquodque constantium Pr.

(8) adnata. — adunata Pr.

(2) dicunt quod. — Om. Pr.

(6) vitales. — vitalia Pr.

eas. Unde in passionibus animae, utputa in ira, formale est quod est ex parte affectionis, scilicet quod sit appetitus vindictae; materiale autem est quod pertinet ad alterationem cordis, utpote quod sit accensio sanguinis circa cor. Non autem in rebus naturalibus forma est propter materiam, sed e converso, materia propter formam, ut probatur, 2. *Physicorum* (t. c. 26); sed in materia est dispositio ad formam. Non ergo propter hoc aliquis appetit vindictam quia sanguis accenditur circa cor, sed ex hoc aliquis est dispositus ad iram; irascitur autem ex appetitu vindictae. Quamvis autem (z) aliqua variatio accidat in motu cordis ex apprehensione diversa et affectione, non tamen ista variatio motus est voluntaria, sed involuntaria, quia non fit per imperium voluntatis. Dicit enim Aristoteles, in libro *de Motu animalium* (cap. 8), quod *multoties apparente* (6) *aliquo, non tamen jubente intellectu, moventur cor et pudenda*. Et hujus causam assignat: *Quoniam necesse est alterari naturali alteratione animalia; alteratis autem partibus, haec quidem augeri, haec autem decrementum (y) pati, ut jam moveantur et transmutentur permutationibus se invicem sequi natis* (z). *Causae autem motuum cordis sunt caliditas et frigiditas, quae deforis et intus sunt, existentes naturales, et praeter rationem utique facti motus dictarum partium, id est, cordis et ppndendi, alteratione incidente (e) fiunt. Intellectus autem et phantasie factiva passionum* (z) *afferunt, ut concupiscentiae et ire, ex quibus cor calescit et infrigidatur.* » — Haec sanctus Thomas, *de Motu cordis*.

Ex quibus patet *primo*, quod aliquis motus cordis causatur ab anima immediate et non organice, scilicet motus cordis, et alii sibi necessario connexi. *Secundo*, quod omnis aliis motus localis animalis, praeter motum cordis, causatur ab anima organice, mediante corde, et spiritibus a corde procedentibus ad reliqua corporis membra. *Tertio*, quod anima per nullam potentiam motivam non organicam movet corpus, dum est corpori conjuncta: quia motus cordis non causatur per potentiam medium inter animam et cor plus quam motus gravium et levium, sed sequitur animam ut est forma talis corporis; motus autem aliorum membrorum causatur per aliquam potentiam organicam, utputa mediante sensitiva potentia et appetitiva, que originantur in corde et capite, et per quamdam potentiam executivam, que est in nervis et musculis et hujusmodi partibus

(z) autem. — enim Pr.

(6) apparente. — appetente Pr.

(y) haec quidem augeri, haec autem decrementum. — hoc quidem augeri, hoc autem detrimentum Pr.

(z) transmutentur permutationibus se invicem sequi natis. — permutentur natis habere permutationem ad invicem Pr.

(e) alteratione incidente. — alteraciones incidentes Pr.

(z) passionum. — passionem Pr.

corporis. *Quarto*, quod anima separata nullam naturalem potentiam habet ad movendum corpus ab ea non vivificantem immediate non organice, quia nullam talen habet in corpore sibi conjuncto.

Dicitur secundo principaliter, quod auctoritas Aristotelis in libro *de Motibus animalium* (cap. 6) non facit ad propositum. Conceditur enim quod nulla pars corporis animalis est immobilis; immo qualibet moveretur ab anima; sed differenter, quia quedam moveretur ab anima in quantum est ejus forma, scilicet cor, alie vero mediante potentia organica. Anima autem separata non informat aliquid corpus, nec habet potentiam organicam. Ideo non est simile de conjuncta et de separata.

Dicitur tertio, quod auctoritas Commentatoris, 8. *Physicorum* (com. 37), non valet ad propositum. Quia, cum dicit quod primum movens est anima, etc., ex hoc non habetur nisi quod primum principium et prima radix intrinsecā motus animalis secundum locum est anima. Sed ex hoc non habetur quod sit principium proximum, loquendo de reliquis motibus praeter motum cordis: quia, secundum eum et Aristotelem, 3. *de Anima* (t. c. 49), alii motus causantur per apprehensionem et appetitum de proximo; et, ut supra visum est, per motum cordis. De hoc motu qui fit per potentiam motivam organicam, sanctus Thomas, 4 p., q. 76, art. 4, in solutione secundi, sic dicit: « Anima non movet corpus per esse suum, secundum quod unitur corpori ut forma; sed per potentiam motivam, cuius actus presupponit jam corpus effectum in actu per animam; ut sic anima secundum vim motivam sit pars movens, et corpus animatum sit pars mota. » — Hec ille. — Item, q. 78, art. 1, in solutione quarti, sic dicit: « Quamvis sensus et appetitus sint principia motiva in animalibus perfectis, non tamen sensus et appetitus, in quantum hujusmodi, sufficiunt ad movendum, nisi superadderetur eis aliqua virtus alia: nam in immobilibus animalibus est sensus et appetitus, non tamen habent vim motivam. Hec autem vis (z) motiva non solum est in sensu et appetitu ut imperante motum; sed etiam est in ipsis partibus corporis, ut sint habilia ad obedientiam animae moventi. Cujus signum est, quod quando membra removentur (6) a sua naturali dispositione, non obediunt appetitui ad motum. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod proximum movens animal est potentia sensitiva et appetitiva, licet primum movens sit anima ut precedit potentias. Et similiter, quod anima non habet aliquam potentiam motivam non organicam. Et ulterius, quod nec anima nec sue potentiae sufficient ad movendum corpus sibi unitum, nisi tale corpus sit debite qualificatum et dispositum ad exequendum imperium voluntatis.

(z) vis. — Om. Pr.

(6) removentur. — moventur Pr.

Ergo multo minus anima separata sufficit ad movendum corpus separatum, ubi deficiunt illa tria, scilicet apprehensio sensitiva, appetitus sensitivus ex parte animae, et potentia executiva vel obedientialis ex parte corporis.

Dicitur quarto, quod in illo qui saltat, qualibet pars corporis movetur, et sola anima quiescit, sic quod anima non per se sed per accidens multum remote movetur. Cor vero animalis movetur per se ab anima motu vitali, qui constat ex tractu et pulsu; sed motu animali, qui per potentias apprehensivas et appetitivas exercetur, cor non per se moveatur (2), immo tali motu moveat omnia alia membra, et consequenter de per accidens moveat seipsum, sicut movetur nauta movendo nave. Sic ergo patet quod, in tali motu saltus, anima non moveat immediate aliquam partem corporis motu animali, sed immediate moveat cor motu vitali, quo mediante, moveat alia membra motu animali. Neutro autem illorum modorum potest movere corpus separatum. Et de predictis sanctus Thomas, *de Anima*, q. 9, in solutione sexti argumenti, sic dicit: « Animal dividitur in duas partes, quarum una est corpus mobile, et alia motor. Sed oportet intelligere quod anima moveat corpus secundum apprehensionem et appetitum. Apprehensio autem et appetitus in homine duplex est: una quidem, que est anima tantum, non per organum corporale, que est partis intellective; alia est conjuncti, et partis sensitivae. Illa autem que est partis intellectivae, non moveat corpus nisi mediante ea que est partis sensitivae: quia, cum motus sit circa aliud singulare, apprehensio universalis, que est intellectus, non moveat nisi mediante particulari, que (6) est sensus. Sic ergo homo vel animal, cum dividitur in partem moventem et partem motam, non est haec divisio in unam animam et solum corpus, sed in unam partem corporis animalis et aliam; nam illa pars corporis animati, cuius operatio est apprehendere et appetere, moveat totum corpus. Sed, si supponatur quod pars intellectiva immediate moveat, ita quod pars movens in homine sit anima tantum, adhuc remanebit responsio, secundum præhabita. Nam anima humana erit movens secundum id quod est supremum in ipsa, scilicet partem intellectivam; motum autem erit non materia prima tantum, sed materia prima secundum quod constituta est in esse corporali et vitali (7), non per aliam formam nisi per eamdem animam. Unde non erit necessarium ponere formam substantialem medium inter animam et materiam primam. Sed quia est in animali quidam motus qui non est per apprehensionem et appetitum, scilicet motus cordis, et etiam motus augmenti,

et motus alimenti diffusi per totum corpus, quod est etiam commune plantis, quantum ad hos motus dicendum quod, cum anima animali non solum det id quod est proprium sibi, sed etiam id quod est inferiorum formarum, sicut inferiores forme sunt principia naturalis motus in corporibus naturalibus; ita etiam anima in corpore animali; unde Philo-sophus dicit in 2^o *de Anima* (t. c. 8), quod anima est natura talis corporis; et propter hoc operationes animae distinguuntur in animales et naturales, ut ille dicantur animales que sunt ab anima secundum illud quod est proprium sibi, naturales autem que sunt ab anima secundum quod facit effectum inferiorum formarum naturalium. Secundum hoc ergo dicendum quod, sicut ignis per suam formam naturalem habet naturalem motum quo tendit sursum, ita aliqua pars corporis animati in qua primo invenitur motus qui non est per apprehensionem, habet hunc motum naturaliter per animam. Sicut enim ignis naturaliter moveatur sursum, ita sanguis naturaliter moveatur ad loca propria et determinata. Et similiter cor naturaliter moveatur motu sibi proprio; licet ad hoc cooperetur resolutio spirituum facta ex sanguine, quibus cor dilatatur et constringitur, ut Aristoteles dicit, ubi agit de respiratione et aspiratione. Sic ergo prima pars in qua talis motus invenitur, non moveat seipsum, sed moveatur naturaliter, sicut ignis; sed ista pars moveat alias; et sic totum animal est movens seipsum, cum una pars eius sit movens, et alia mota. » — Haec ille.

Ad tertium dicitur quod auctoritas Commentatoris ibidem allegata non procedit contra nos. Conceditur enim quod potentia secundum locum motiva communis est anime et substantiis separatis, communitate analogie vel generis multum remoti, non autem communitate specifica. Et ideo aliud objectum habet potentia motiva angelij, et aliud potentia motiva anime: angelus enim potest naturaliter movere corpus non ab eo vivificatum, non autem anima. De hoc sanctus Thomas, *de Malo*, q. 16, art. 10, sic dicit: « In actionibus virtutum activarum considerandus est ordo rerum. Qui non solum attenditur secundum naturas ipsarum, sed etiam secundum carum motus. Habent enim (2) ipsi motus quemdam ordinem ad invicem. Et hoc dupliciter. Uno modo, secundum propriam (6) rationem. Et, secundum hoc, motus localis ad alios motus duplicem habet comparationem: uno modo, quia est primus motum; alio modo, quia per motum localis minima variatio fit circa mobile; nam, cum per alios motus varietur aliquid quod est intrinsecum rei, puta quantitas, aut qualitas, aut etiam forma substantialis, per motum localis variatur corpus solum secundum aliquid extrinsecum, scilicet secun-

(2) *de per se*, — Ad. Pr.
(6) *qua*. — qui Pr.
(7) *vitali*. — in tali Pr.

(2) *enim*. — etiam Pr.
(6) a verbo *ordinem* usque ad *proprium*, om. Pr.

sum locum. Et quantum ad utrumque, secundum praedicta, competit quod corpora moveantur a substantiis separatis motu locali immediatus quam aliis motibus. Primo quidem, quia posteriora perficiuntur mediantibus prioribus; unde et alii motus causantur a substantia spirituali mediante motu locali. Alio modo, quia effectus debiles possunt fieri immediate a remotiori agente; unde minima variatio corporalis, que fit per motum localem; potest immediate fieri per substantiam spiritualem (2), quasi per agens remotum; non autem aliqua major variatione, qualis est aliorum motuum. Alio modo consideratur ordo motuum secundum ordinem mobilium; sicut motus celi est prior motu corporis elementaris. Et secundum hoc, competit superioribus substantiis spiritualibus movere superiorius corpus: ita quod motor orbis Saturni non posset movere celum stellatum; nec motor ejus posset eum movere; si haberet plures stellas, ut dicitur in 2. de Cielo. Sicut ergo superiores substantiae spirituales movent superiora corpora celestia; ita etiam inferiores movere possunt localiter inferiora corpora, quales sunt demones: sive hoc habeant ex conditione naturae sue, secundum illos qui dicunt quod demones non fuerint ex illis superioribus angelis, sed ex illis qui proficiuntur a Deo Iudei terrestri ordini secundum proportionem sue naturae; sive hoc etiam eis conveniat pro pena peccati, propter quam detrusi sunt a celestibus sedibus in hunc aerem, secundum Gregorium (32. *Moralium*), qui ponit aliquos de supremis angelis per peccatum cecidisse. — (Ad 2^{um}). Anima autem humana infinitum gradum tenet in ordine substantiarum spiritualium: unde non habet virtutem movendi corpus, etiam localiter, nisi proportionatum sibi per hoc quod est vivificatum ab ipsa. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod, licet vis motiva sit communiter in angelis et in anima, tamen aliud objectum habet una quam alia. Ideoque non sequitur, si angelus, qui est substantia totaliter a materia separata, potest movere corpus ab eo non vivificatum, quod ideo consimiliter anima, cui natu-

(2) *substantiam spiritualem*. — *substantiam* Pr.

rale est esse formam corporis, possit movere corpus non vivificatum ab ea.

Ad quartum dicitur quod non facit contra pri-
mam conclusionem, sed arguit pro secunda. Tales enim animarum apparitiones, ut supra (2) allegatum fuit, sunt inter divina miracula computande.

Ad quintum dicitur quod similitudo ibidem addu-
cta non valet: quia, licet anima convenienter cum substantiis separatis in virtute motiva, non tamen oportet, nec sequitur quod illa convenientia sit secundum univocationem specificam, sed secundum convenientiam generis remoti vel alicujus analogi; et ideo non sequitur quod potentia motiva angeli et potentia motiva animae conjuncte vel separate habeant univocum objectum, sicut patet ex predictis (ad tertium).

Ad argumentum principale pro quaestione (6), patet responsio ex dictis sancti Thomae superius reci-
tatis (7).

Et haec de quaestione sufficientant. De qua benedictus in aeternum Deus. Ad eius honorum, et Christi-
ferae Mariæ, et beatorum Dominic, Petri Martyris,
et Thomae Doctoris, haec et precedentes inchoatae et
consummatæ fuerunt. Haec puerilia scripta super
4. *Sententiarum* completa fuerunt anno Domini
millesimo quadrageentesimo trigesimo secundo, deci-
maoctava die Februarii, Ruthenæ, pontificatus
Domini Eugenii IV anno primo. Quæ omnia sub-
cipientur totali correctioni ejusdem Summi Pontificis,
et Romane Ecclesie, neconon Generalis Concilii nunc
sedentis Basileæ (8).

(2) Cfr. ad primum Scoti.

(6) *quaestione*. — *conclusione* Pr.

(7) Haec dicta D. Thomæ desumuntur ex 1 p., q. 47, art. 4, ad 1^{um}, et *de Malo*, q. 16, art. 10, ad 2^{um}. Auctor ea refert supra, in responsione ad confirmationem secundi argumenti Scoti.

(8) *Liber quartus Defensionum theologie divi doctoris Thomae de Aquino in 4 sententiarum editus per eximum rectitatis scholæ professorem Fratrem Johannem Capreoli tholosanum, Ordinis Prædicatorum, anno Domini millesimo quadrageentesimo trigesimo secundo, feliciter explicat. Impressus Venetiis per Octavianum Scotum Modo-
tensem, anno salutifere Incarnationis MCCCCLXXXIV.*
— Ad. Pr.